Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 237
Quelle:
Copyright:

venerunt gentes &c. utramque prima meditatione effusam, et hinc multis lituris et emendationibus tam intra textum, quam in marginibus refertam. Prior incipit: *Cum animadverteret Beatus David ædes sacras dijs falsis dedicari* &c. Altera: *Antiochi Regis cui cognomentum fuit Epiphanis id est illustris* &c. Autorem utriusque suspicor *Fridericum Nauseam* sive *Grau* Blancicampianum *Ferdinando* I. a sacris Concionibus et post Episcopum Vienn. cujus *Metaphrasis in Ps. LXXVIII.* reipsa typis prodiit *Viennae in Aedib. Joh. Singrenii* 1539. 4. nostra quidem, quae in praesenti Codice mutila est, multum elaboratior, sensu tamen cum ea conspirans. Intra *fol.* 6. et 7. adglutinata nobis est scheda haec praeferens: *Ad Regem Maximilianum.*

Augusti sacris Rex optime nate calendis
Octauum implesti iam qui feliciter annum,
Indole tam clara prestans, et pectore forti.
Cresce, uige, imperijs Augusto maior, et annis.

Hos etiam Versiculos *Nauseae*, qui subinde et Musis operatus est, tribuendos putem. Ad annum 1535. pertinent; *Maximilianus* II. enim natus est 1. *Aug.* 1527. Sed quid octennem Puerum *Regem* vocat?

XCIII. VIII F. 24

480 Codex chartaceus lat. bohem. Sec. XV. Folior. 356. 4. currente, varioque calamo exaratus haec continet: I. Expositionem succinctam Psalmi XC. *Qui habitat.* Incipit: *Psalmum 90 mum deo demonstrante atque enodante proposui exponere vt Omnis qui eum psallit sciat cui psallat et quare psallat et quid psallat* &c. *Bernardi* Expositionem sequitur Noster, quae extat Edit. *Maur. Paris.* 1690. T. III. *col.* 827.

II. *fol.* 3. succedit *Sermo in natiuitate Domini.* Brevis et pariter e PP. Dictis compilatus, hoc initio: *Diuina pagina dudum per os dauid pronunciata ammonet vniuersum populum christianum dicens: Cantate domino canticum nouum quia mirabilia fecit* &c. Ad Academicos, fortasse *Pragae*, habitum illa sub finem suadent: *Gaudeant scolares et clerici quia hodie natus est nobis Episcopus magnus* &c.

III. *fol.* 6. *Hic sunt fundamenta et scripture quibus Magister procopius de plzna probat Communionem paruulorum in Basilea in pleno Concilio nomine regni Bohemie.* Initium: *Inprimis ergo pro fata communione paruulorum ponendum est fundamentum solidum* &c. Fundamentum porro istud convehit Magister e S. Literis, Conciliis, Patribus, Praxi antiquae Ecclesiae, Libris Pontificalibus, Doctoribus Juris Can. et Scholasticis. *Procuratorium*, quo *Procopius* noster